



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

85. An Inquisitores possint punire reum, qui fuit baptizatus invalidè ex defectu formæ, materiæ, vel intentionis? Ex p. 4. tr. 8. res. 78.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. LXXXII.

An Inquisitores possint punire dicentes confessos Religiosos ab Episcopo approbatis iterum eadem peccata teneri confiteri Parocho?

Ex an sic dicentes suspecti sint de heresi, & sint denunciandi S. Officio? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 102.

Affirmativè respondeo, quia sic dicentes sunt suspecti de heresi, & sunt denunciandi S. Officio, & ita tenet Zanard. in direct. Theol. p. 1. de sacrament. Panit. cap. 24. Alphonsus de Leone in tr. de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 10. n. 101. Peregrin. in compend. nostr. privit. tom. 1. ver. communicare, §. 11. & Naldus in sum. ver. Confessarius, n. 29. & Ioan. de la Cruz de statu de Relig. lib. 2. c. 6. dub. 1. concl. 3. Unde explodenda apparet opinio Henrici de Gandavo, Hostiensis, Archidiaconi, Ioannis Monachi & aliorum, quos refert Adrianus in 49. §. de Confessione, allententium quod qui ex privilegio confitentur Religiosis, tenentur postea debito tempore suis Parochis confiteri eadem peccata, quæ semel confessi sunt, ut adimpleant præcepta Innocentij III. in cap. omnis utriusque sexus, & ideo observat Miranda in Manuali Prælat. tom. 1. q. 45. art. 5. quod Ioannes de Poliac, qui pertinacius supra dictam opinionem tenebat, per Ioann. XXII. anno Domini 1322. vocatus Romam compellus est palinodiam recantare, suumque errorem revocare, ut constat ex quadam Extravag. quæ incipit, Vas electionis. Merito igitur, ut advertit Ioan. de la Cruz loco citato, Sixtus IV. commisit Inquisitoribus hæreticæ pravitatis hoc delictum punire.

RESOL. LXXXIII.

An Inquisitores possint admittere ad confessiones audiendas eos, qui abjuraverunt de vehementi, vel de levi?

Et an Regulares abjurantes de levi reddantur inhabiles ad gradus & dignitates Religionis?

Et notatur, quod ex abjuratone etiam de vehementi non incurritur irregularitas. Ex p. 4. tr. 8. Ref. 64.

Respondeo negativè quoad primum, ex declaratione sacre Congregationis S. Officii, per quam ordinatur ne is qui abjuravit de vehementi, admittatur amplius ad audiendas confessiones, quam declarationem assertit Vmbertus Locutus in fine praxi Inquisit. Genensis, & de Leone ubi infra, & docet Riccius p. 2. decis. 218. per totam, quam omnino vide.

2. Difficultas est de eo abjurante de levi, & affirmativè respondet M. Antonius Genensis in praxi Archiep. c. 45. n. 2. ubi sic ait. Fuit dubitatum in Curia Archiep. an quidam Sacerdos qui abjuraverat hæresim de levi, esset admittendus ad audiendas confessiones fidelium, & re delata ad sacram Congregationem generalis Inquisitionis S. Officii in Vrbe fuit rescriptum die 6. Martij 1596. dictum Sacerdotem non esse impedimentum exercere omnes Ordines, & Sacramenta ministrare, ac fidelium etiam secularium confessiones audire, quamvis abjurasset de levi. Ita Genensis, qui etiam ibi notat, ut supra diximus quod in dicta Curia Archiep. Neapolit. abjurantes de vehementi nunquam admittuntur ad confessiones audiendas.

3. Sed an Regulares abjurantes de levi reddantur inhabiles ad gradus & dignitates Religionis? negativè respondet Seraphinus Frey in addit. ad tract. de Consecr. solit. q. 24. num. 70. etiam si abjurasset de vehementi. Vide Rodriguez in qq. Regular. tom. 2. q. 82. art. 2. hodie Tom. V.

tamen, ut observat Alphonsus de Leone tract. de officio & potestate Confessarii part. 2. recollect. 1. n. 2. extat decretum sacre Congregationis sancti Officii annuente Urbano VIII. Pontifice, ubi Regulares redduntur inhabiles ad officia & dignitates propter quamcumque poenitentiam, nisi sit salutaris.

4. Notandum est hic obiter quod ex abjuratone etiam de vehementi non incurritur irregularitas, & ideo Villalobos in sum. tom. 1. tract. 21. diff. 1. §. num. 2. sic ait: [No se incurre irregularidad por haver abjurado la heresia de levi, o de vehementi, de suerte que si de hecho de verdad no era herege, si no que se lo probaron con testigos falsos, o el confesso por temor del tormento no queda irregular como dize Navarro, el qual dize de un Prelado que abjuro de vehementi, y el dia siguiente sin dispensacion se fue a dezir Misa loqual approbo y loo el Papa y toda la Curia, la razon desto es clara, porque en el derecho no se pone esta pena al que abjuro si no al herege.] Ita ille, & Sanch. in sum. tom. 1. lib. 1. c. 25. n. 12. quem sequitur Alphonsus de Leone ubi supra de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 1. n. 211. in fin.

RESOL. LXXXIV.

An Inquisitores possint punire sumentes in communionem majores, vel plures Hostias, seu particulas?

Et an Eucharistia causet gratiam toto tempore, quo est in stomacho? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 96.

Respondeo affirmativè cum Fernandez de Heredia in disp. Theol. de Sacram. tit. de Eucharist. dist. 2. part. 9. dub. unic. num. 1. & Ioan. de la Cruz in direct. conscient. par. 2. de Sacram. Eucharist. q. 4. concl. 2. ubi sic ait: Ex dictis patet contra Caietanum, & Canum, Eucharistiam non causare gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicut nec toto tempore manducationis, aliàs esset majoris conditionis communicando sub multis hostiis, quod falsum est, & puniuntur ut suspiciosi per Inquisitores, qui sunt multum solliciti communicare sub multis hostiis, ut diutius duret corpus Christi in stomacho. Ita Ioan. de la Cruz.

RESOL. LXXXV.

An Inquisitores possint punire reum, qui fuit baptizatus invalide ex defectu forme, materie, vel intentionis? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 78.

Suppono Baptismum necessarium esse, ut hæresis, Iudaismus & Paganismus punibilia sint ab Ecclesia, scilicet aliquibus casibus, ut patet ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. & observant communiter Doctores. Hoc supposito, negativè respondet ad questionem Sanch. in sum. tom. 1. lib. 2. c. 7. n. 74. Suar. de fide disp. 19. sect. 5. n. 8. & Sanctarelli. de hæresi cap. 1. dub. 2. n. 6. & alij, quia talis per Baptismum invalidum non fuit constitutus membrum Ecclesiæ visibilis, aliàs dictus Baptismus non esset repetendus: ergo Ecclesia non potest adversus illum jurisdictionem exercere.

2. Sed non defunt DD. affirmativam sententiam tenentes, quam tueretur Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 9. q. 3. ver. si quas, Caltr. de just. hæretic. punit. lib. 1. cap. 8. Simanca in Cathol. instit. tit. 31. num. 5. ubi sic asserit: Queritur an is, qui probabili errore ductus putat se baptizatum esse, cum verè baptizatus non sit, propriè censetur hæreticus, si postea hæresi aliqua infectus fuerit? & verius est ut hæreticus judicetur & poenis hæreti

P p 2 hæreti

hæreticorum subiaceat, quia iste baptizatus est Baptismo fluminis, & quia in hac re plus operatur opinio, quam veritas, unde quidam ita definiunt: Hæreticus est qui eret baptizatus, vel pro baptizato se gerens pertinaciter errat, vel dubitat contra Catholicam veritatem. Hæc Simanca. Cujus opinionem tenet etiam Henricus *lib. 2. cap. 25. num. 6.* & Sayrus *de cens. lib. 3. cap. 4. num. 11.* in casu quo reus habuerit intentionem suscipiendi Baptismum.

3. Vel quando communiter reputatur baptizatus, ut semper accidit; & ideo observat Castus Palaeus *tom. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 16. §. 6. num. 3.* quod Cæsar Augustus anno 1619. quidam Maurus, qui adversus nostram fidem deliquit, reconciliatus est, etiam si allegaverit baptismum non esse, in cujus confirmationem in libro suæ parochiæ non fuit inventus scriptus. Vide etiam Antonium Ricciolum *tract. de jure personarum, & c. lib. 3. cap. 6.* varios casus distinguentem.

RESOL. LXXXVI.

An Inquisitores possint punire reum, quando dubitatur, an sit baptizatus? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 113.

§. 1. **A**D hoc dubium respondet Didacus Cantera Muticensis Inquisitor in *q. crim. cap. 1. de hæreticis, n. 5.* ubi fit ait: Sed est dubium, quando dubitatur an aliquis sit baptizatus, possit ne contra eum procedi? & in hoc distingue, scilicet, aut est ille conversatus, & natus inter Christianos, & præsumitur in dubio baptizatus, & per consequens poterit procedi contra eum, si commisit aliquam hæresim: aut est natus & conversatus inter infideles, & non præsumitur baptizatus, & per consequens non poterit puniri: aut est natus inter Christianos, conversatus autem inter infideles, & tunc etiam distinguem, scilicet quod aut statim quod natus est ante annos discretionis, est captus ab infidelibus, & tunc licet præsumatur is baptizatus, tamen etiam si fecerit aliquem actum hæreticum inter infideles, non puniretur, nec procederetur tamquam contra hæreticum, quia non fuit instructus in fide Catholica: aut captus fuit post annos discretionis, & sciebat fidem Catholicam, & tunc esset hæreticus, & puniretur tamquam talis. Istam distinctionem colliges ex textu, & quæ ibi notant DD. in *cap. 1. de Baptismo, & ex textu, & quæ ibi notant DD. in cap. veniens, §. fin. de Presby. non baptizato.* Ita Cantera.

RESOL. LXXXVII.

An Inquisitores possint procedere contra comedentes carnes in diebus prohibitis, vel non recipientes Eucharistiæ Sacramentum, & Pœnitentiæ semel in anno? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 38.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam olim docui, quia supradicti sunt vehementer de hæresi suspecti. Sed quia hæc opinio aliquibus nimis rigida visa fuit, ponam hic per extensum verba Doctorum. Antonius Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 41. dub. 3. num. 5.* Sunt de hæresi suspecti qui singulis annis sua peccata non confitentur, nec communicant; sicut etiam sunt suspecti de hæresi, qui diebus vtiis carnes edunt. Io. Rojas *singul. 98. num. 6.* Inquisitores possunt procedere contra eum, qui non recipit sacram communionem quolibet anno. Franciscus Pegna in *direct. Inquis. part. 2. §. 5. comm. 46.* Vehemens suspicio, seu suspicio alia sumitur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur argumentum concludens frequen-

ter, & ut in pluribus quod qui talia dicit, vel facit, est hæreticus, ut si quis diebus prohibitis abque necessitate & Superioris facultate carnibus vesceretur. M. Antonius Genuens. in *praxi Archiepisc. cap. 18. n. 11.* Comedentes carnes diebus prohibitis ab Ecclesiâ sine necessitate dicuntur vehementer de hæresi suspecti. Et tandem hanc sententiam non solum quoad comedentes carnes diebus prohibitis, sed etiam quoad comedentes sacramentum Eucharistiæ & pœnitentiæ singulis annis, docet etiam Lælius Zecchius in *summ. tom. 1. tit. de fide cap. 11. num. 5.* Verum posse omnia supradicta effici sine mentis errore, non est dubitandum, non tamen ex hoc sequitur quod Inquisitores non possunt procedere contra talia facientes. Ideo eorum arbitrio standum erit pensatis circumstantiis, & qualitatibus facti, temporis, & personarum. Sed communiter contra eos, qui non communicant in praxi, solent procedere Episcopi.

2. Vide etiam præter DD. citatos Duardum in *Bal. Cen. lib. 2. can. 1. §. 33. num. 7.* Alphonsum de Leone *de officio & potest. Confessor. tom. 1. recollect. 22. num. 1. cap. 15.* & Emanuelem de Valle de Moura *op. cit. de cens. & incant. sect. 3. cap. 3. n. 20.*

RESOL. LXXXVIII.

An Inquisitores sint iudices competentes super reconciliatis, qui Hispano sermone Sambenitados, vocantur? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 69.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docent Doctores, quos citat Io. Rojas *singul. 98. num. 1.* Sed ipse *num. 3.* & meritò, contrariam sententiam tenet, cui ego addo Doctores quos citat & sequitur Cencius in *decretum Gratiani collect. 34.* & Barboletum in *collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 9. num. 17.* nec contra hanc opinionem negativam facit textus in *cap. aliud 11. q. 1.* ut rectè observat Pegna in *direct. Inquis. part. 3. quæst. 57. comment. 146.* & alij, quia varias habet explicationes, quas videre potes apud citatos Doctores; nam ego brevitati studeo.

2. Verum his non obstantibus, non est dubitandum si inter se dicti pœnitentes rixati fuerint, dum sunt in perpetuis, vel temporalibus carceribus, vel propter habitum pœnitentiæ unus in alterum convitia dixerit, posse Dominos Inquisitores illos punire, quidquid in contrarium sentiat Farinacius *de hæresi 9. 186. num. 37. in fine.* Sed tu nostram sententiam tene, tueretur Rojas & Pegna ubi *supra.* Vide etiam circa præsentem quæstionem Simancam in *catbol. instit. tit. 47. num. 18.* Decianum in *tract. crim. lib. 5. cap. 23. n. 3.* Covarraviam *pract. quæst. cap. 34. num. 3.* & alios penes ipsos.

RESOL. LXXXIX.

An Inquisitores possint punire aliquem, qui dederit consilium reo incarcerato etiam iustum, illis insinuat p. 4. tr. 8. Ref. 67.

§. 1. **R**espondeo affirmative, per ea quæ adducit Vmberius Locatus in *praxi Inquis. cap. 10. Placentie*, ubi agit de quodam Religioso Theologo, qui consultus de dubio Theologico ab Inquisito, iustum & Catholicum consilium ei præbuit, inconstitutum tamen Inquisitore, & resolutum supradictum non esse puniendum, ut fautorem hæreticorum, sed arbitraria pœna deputanda ab Inquisitoribus, & novissime hanc sententiam tenet etiam Seraph. Frey. in *addit. ad tract. de confess. foliis. Roderici Acugna 9. 22. n. 18.*

RESOL.